



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 274. Et saboathum illucescebat. v. 54.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

nis. Non placet hoc ventris ministris. isti quantum in se est tollendo afflictionem abstinentiæ restitunt gentilem voluptatem Veneri.

§. 274. *Et sabbatum illucescebat. v. 54.*

Sole tendente in occasum die Veneris sabbatum incipiebat more Iudæorum. & hoc indicatur verbo illucescebat, etsi enim noctescebat, vere tamen sabbatum, id est qui es bene illucescere dicebatur, tenebræ enim & nox quieti destinata sunt tempora. Habebant autem Legem specialem Iudæi, quod sabbatha sua seu festos dies à vespera ad vesperam celebrare debebant, & hunc morem etiam assumpsit S. Ecclesia Catholica quæ festis diebus assignavit in divinis officiis & primas & secundas vespertas, quomodo igitur modo à primis vespertis ordimur festa, ita Iudæi sabbatum suum & pascha illius anni ordiebantur. Hoc nobis dicit S. Lucas.

**I**terum gratias tibi dico B. Luca Evangelista, qui tam pulchre nos erudit in caeremoniis veteris legis bonis & rationalibus, ut intelligamus, unde nostros ritus Catholicos hauserimus in ordinandis officiis divinis. Incedere pro nobis ut in illis servandis simus semper constantes.

§. 275. *Subsecuta autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa. v. 55.*

Moveor super constantia harum mulierum & fidelitate erga Dominum suum & Magistrum. quem enim securæ fuerant vivum in Galilæa, verbum eius & doctrinam percipiendo, eum & mortuum sequuntur ad tumbam usque, ut gratiam exhibeant & ultimum honorem, & si ultra occasio ferret. etiam more Iudæorum eius corpus vnguentis optimis lincerent animo gratitudinem spirante supra omnia aromata.

**O** Sanctæ mulieres, Christo devotæ, & sequaces eius dignæ estis, quæ à cunctis generationibus honorem & laudem habeatis, quoniam Dominum universorum honorastis primæ, & dedistis exemplum præclarum aliis, quæ vos etiamnum sequuntur.

§. 276. *Viderunt monumentum. v. 55.*

Postquam à viris sanctis & principibus Iudæorum Nicodemo Iosepho & Ioanne & Lazaro, corpus Iesu decenter positum fuerat in monumento, & ipsis exeuntibus intraverunt piæ hæ mulieres (& non enim decebat permisceri viris tam honoratis, nec locus sepulchri permittebat) & videntur monumentum id est loci constitutionem, circum circa eam  
consi-